



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

6. S. Magnus Abbas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

nis tuæ Festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur.

Festum S. Magni Abbatis ex  
Ord. SS. P. Benedicti Sueviæ  
Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

**N**omen prodidit, quis fuerit hic Vir coram Deo & omni populo? Magnus videlicet à sanctitate vitæ, & plenitudine virtutis. Magni æstimari desideramus? Fili! ut simus, & cum veritate dicamur: Cur non laboramus? Hocne profiteri Christianum? Solo nomine. Re, & opere negamus.

*Instructio meritoria.*

Magna Christiani Nominis dignitas! Ne minuat per nos, unum, vel alterum actum heroicum in abnegando appetitu concupiscibili, vel irascibili exerceamus, & ut superemus, in honorem S. Magni Psalmum recitemus: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis cum tribus Patet & Ave.* SSS. Trinitas respiciet, &

respiciendô nos Magnos virtute, & gratiâ efficiet.

II.

**P**Auperes si vestire, si ditare non valeamus, dilecte! cum Divo Magno Verbum bonum, lene, & mansuetum petentibus demus cum charitate. S. Magnus cœcum sanavit utens B Petri verbis: *Argentum, & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine Domini Nostri Jesu Christi aperiantur oculi tui.* Dixit, & vidit. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram miraculis.*

*Instructio meritoria.*

**I**Rasci, & indignari, si quid petitur à nobis, quàm indecens est! Inferamus hîc vim insultæ, & petulanti naturæ, & nemini per octo dies negemus, quod justè rogati fuerimus. Pro satisfactione omnis indignationis nostræ recitemus officium de SS. Nomine Jesu. Hic utique docuit: *Discite à me, quia humilis sum, & mitis corde?*

Z

III. Ter-

## III.

**T**erribilem interfecit draconem D. Magnus. Quô mediô? Precibus, jejuniis, & vigiliis. His cedere debent & efferæ bestia. Et ô rem miram! Pravam consuetudinem, hanc, vel illam effrânem vitæ licentiam, vel passionem mediis adeò potentibus tollere aut non volumus, aut iniquè desperamus. Ah! cur vivimus fili! Si pravos habitus ita prædominari nobis permittamus?

*Instructio meritoria.*

Impossibile, duobus servire Dominis Deo, & vitio. Quid agimus? Hanc vel illam passionem, aut inveteratam consuetudinem per hunc mensem aggredi fortissimè statuamus. Media sint pietatis, & devotionis exercitia. Nostrum est, conscribere opera; Venerabilis Patris spiritualis benedicere. Interim pro successu felici assumptæ pugnae quotidie post mensam cordi Jesu suavissimo apud Sanctissimum ferventer pia commendemus proposita addendo *quinque Patres*  
 & Ave cum Psalmo: *Cum invocarem*

exan

*exaudivit me Deus. Cadat inimicus !  
Imperet anima !*

Festum Gloriosissimæ Nativita-  
tis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**ilecte ! Ad domum properemus  
Joachimi. Maria nata est ! Ex-  
osculemur, quam tota cœlestis curia, &  
Ipsa colit, atque honorat sacrosancta  
Trinitas. Pater ùt Filiam : Jesus ùt Ma-  
trem ; Spiritus Sanctus ùt Sponsam sibi  
electissimam. Deus præcessit : Non se-  
quetur homo totus dependens à Mariæ  
præsidio ? Maria enim est solatium eo-  
rum, qui affliguntur ; est ultio eorum,  
qui vexantur ; est amictus eorum, qui  
sunt nudi ; est firma defensio eorum, qui  
manè ad eam vigilant, quæ semper suis  
fovet ulnâs devotos sibi famulos. S.  
Theophil.

*Instructio meritoria.*

Et quî parvulam adeò præcelsam con-  
dignè venerabimur ? Cantu Mariæ. No-  
vies *Magnificat* orabimus, & inde gra-  
tulabimur benedictis parentibus SS. Joa-  
chimo,